

Ingens lætitiæ sonus, cum
a viro, plurimum
reverendo atq[ue],
præclariszimo...

1 Ic 1698 Molin, Lars



National Library
of Sweden

Ingens Lætitiã Sonus,

25

Cum a

VIRO,

Plurimum Reverendo atq̃, Præclarissimo,

DOMINO

Laurentio Molin,

S. Theologiã Licentiato, ejusdemque
Facultatis Professore.

VIRO,

Amplissimo Præcellentissimoque,

DOMINO

Gabrieli Siöberg/

Phil. Mor. ac Civil. Prof.

Consentiente Senatu Academico,
Fasces Academiã Magnifici, altera jam vice
(Quod felix faustumq; velit DEus esse Ter O. M.) trade-
rentur luce 9. Junii Anni 1698.

*In turbam Minervæ consecratam
Lapsus.*

DORPATI,

Excudit JOHANNES BRENDEKEN, *Acad. Typograph,*





Scilicet haud pauci dum rerum nuncia grata
Hic hominum capiunt, omnia fausta vovent,
Continuò lætosq; solent diffundere vultus,
Gratesq, ex calido pangere corde DEO.
Sic quoq; nec mirum, Reginae Heliconis ovabunt,
Tristia pellentes nubila Pierides.
Blandæ nectareos subito cantusq; movebunt,
Nuncia læta etenim divus Apollo dedit.
Flammifer en Titan, mundum fulgore coruscans,
Hunc diem nitidis irradiat radiis.
Læta dies nobis rediit, qua Numine dextro
Fasces Magnificos suscipit Aonidum
Grande decus SIÖBERG Præclarus & arte Professor,
Hoc cujus nescit nomen in orbe mori.
Qui ductor noster venerabitur, atq; colonis
Pindi qui dominans, omnibus aptus erit.
Salve fauste dies (quo nullus clarior unquam)
Phæbo qui nitido subveniente micas.
Candida lux optata diu tibi fundimus omnes
Grates, quæ recreas exhilarasq; tuos.
Sis salvus nobis etiam Præclare PROFESSOR,
Jam Patriæ salve Splendor & eximie.

O Præ-



O Præses salve, sis fortunatus ut omnes
Optant qui Musis invigilare solent.
Suscipe nunc hilaris nitidissima Sceptra Licei,
Cultoresq; Tuos Vir celebrate fove.
O nos felices & terq; quaterq; beatos,
Sub Duce queis tali vivere nempe licet.
Cumq; Tuas laudes nostræ memorare Camænæ
O RECTOR, nequeant, posthuma fama canet.
Ipse ego de reliquo votis sic talibus opto,
Id faciens toto pectore & ore pio:
Omnia fausta DEus tibi det Moderator Olympi,
Ut felix vivas incolumisq; diu!
Sic semper voveo, sic fervidus usq; vovebo
Astripotens Numen supplice corde rogans.

Benedictus Elfvendahl, B. E.

Perides letas ad sidera tollite voces
Jubilatq; ex alacri fundite vestra sinu.
Flectite laurigeros vocem in dulcesq; triumphos,
Abjectâ prorsus lividiore genâ.
Luce etenim fulget nitida nunc Cynthius ipse
Alloquitur blandus Castaliosq; choros:
Nunc favet ingeniis doctas nunc ipse Camænas
Exhilarat celebris splendidus Emma tuos.
Optata dies igitur semperq; fovenda
Pectore, perpetuum pignus in obsequii:

Quâ

Quā GABRIEL SIÖBERG Excellens arte Professor,
 Cujus virtutes docta Thalia canit,
 Culmina jam scandit Pindi Rectorq; creatur,
 Dum sibi Palladii tradita Sceptra capit,
 Tradita Sceptra capit SIÖBERG vice nunc iterata
 Atq; ornamentis pluribus ipse cluit.
 Scilicet ille docens leges & jura verenda,
 Quæ stringunt homines quotquot in orbe manent.
 Hæc quis majori tractaret dexteritate?
 Nam circumspicte pendere cuncta solet,
 Æquanimi caute pariter librare statera,
 Observans toto pectore justitiam.
 Sic quoniam vester Moderator præbeat omen
 Jam faustis avibus nominis at celebris,
 Tendite Castalides vestras ad sidera palmas,
 Supplice clementem voce rogate polum,
 Ut vigeat RECTOR, quo non felicior alter
 Magnificus semper protegat atq; suos,
 Famaq; post mortem vivens huic præmia sistat
 Muneris: hoc semper corde Thalia rovet.

Petrus Black.

